

www.e-rara.ch

Majestas Hierarchiæ Ecclesiasticæ

Daude, Hadrian

Bambergæ, 1760

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rp 78 | G - Rp 79 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-62668>

Sectio VI.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

SECTIO VI.

ORDO CAR THUSIENSIIUM.

S U M M A.

1. *De origine hujus Ordinis tractatur.*
2. *Quid speciali præ cæteris Ordinibus hæc Religio habeat?*
3. *Quibus potissimum mediis primævum spiritum conservârint?*
4. *Carthusiensium charitas erga viros salutis animarum incumbentes, & præcipuè erga Societatem JESU.*
5. *Quæ Carthusiæ per Franconiam fundatæ existant?*

I. **I**Nter eos Ordines, quos Contemplantium Syl-
labo inscripsimus, postremum locum tribuimus ORIGO
CARTHU-
SIENSIIUM.
Carthusiensibus; tum quia hæc familia à cæteris & solitudine, & vitæ instituto sejunctissima, regulis (*) peculiaribus utitur; tum præcipuè, quòd Alumni hujus Religionis contemplationi magis addicti, & primo adhuc sui Patriarchæ spiritu ferventes quàm dignissimi nobis visi sint, qui omnium numerum suâ accessione absolverent, atque totius tractatûs caput coronarent. S. Bruno nobilis Agrippinas à Sorbona

H h 2

Pari-

(*) Regula huic ordini specialiter data est, cum non agnoscat aliam Regulam approbatam, à sede Apostolica; sed utatur pro Regula propriis Constitutionibus V. PETRA CARD. ad Constit. Alexandri III. n. 1. & ANTONINUS par. 3. suæ summæ tit. 16. c. 1. §. 6. AZOR instit. moral. Tom. 1, lib. 13, c. 11, q. 13. Suarez Tom. 4, de Relig. lib. 2. cap. 4.

(a) Sigeber-
tus in Chro-
nico ad an.
1084.

(b) Constit.
Cum vos.

Parisiensium Academicis honoribus, & subinde à Rhe-
mensi Ecclesia Sacerdotio divite auctus, cum sex fa-
miliaribus in solitudine deserta scholam Christi oran-
tis & jejunantis stabilire ardebat (a); piis conatibus
virosum ne Præsul Gratianopolitanus Hugo deesset;
cœlestis genius monuit, qui huic Episcopo eâdem
nocte septem stellas ad ejus pedes corruentes osten-
derat. Concessis itaque pro primo cœnobio asperri-
mis montibus (quos Carthusiam vocant) beneficium
geminavit Antistes, quando circa annum 1080. se
ipsum instituti novi socium adjunxit: exacto rigidam
inter disciplinam sæculo hoc vivendi genus sanctissi-
mum ab Alexandro III. anno 1176. approbationem
(b) tulit, quâ sanctionem Pontifex sub B. Petri, ac Se-
dis Apostolicæ protectionem hunc ordinem recipit,
ejus rigorem, ac arctitudinem laudat, multâque Pri-
vilegia concedit (*).

SPECIALES
PRÆRO-
GATIVÆ,
AC DOTES.

II. Quanta pro Angelico verè cœtu provida Nu-
minis supremi cura extiterit; ex favoribus, quæ cæ-
teris ordinibus parùm communes sunt, intelligas.
Cum enim hæc Religio carni, & mundo suâ agendi
ratione maximè adversaretur, aut imbecillitatis hu-
manæ vires excedere posset videri; tot nihilominus
illicò fuerunt reperti; qui hanc rigoris asperrimi con-
ditio-

(*) Aliorum Pontificum Privilegia hic breviter subnectimus. HONO-
RIUS III. Constit. 3. *cum dilecti* an. 1218. ne à solitudine distraherentur
Carthusienses; prohibuit, ne possent iidem cogi ad testificandum vel
jurandum de calumnia. BONIFACIUS IX Constit. 3. *Sacrofancta* an.
1391. exemptione eos donavit. MARTINUS V. à solutione decima-
rum eos liberavit Constit. 4. *fons parvulus* GREGORIUS XV. Constit. 42.
ad uberes illis communicavit omnia privilegia mendicantium &c.

ditionem laudarent (*), propagarent, ac undequaque cœnobîa certatim exstruerent (**), ut digitus Dei suam hîc operam locare apertius agnosceretur. Quid autem de eo beneficio à diviniore utique Spiritu concessio dicemus? quo per sexcentos annos in præsentem adeo ætatem in hac Religione, primæva Instituti observantia circa admissam labem, aut reformationi obnoxium vitium integerrima semper steterit: quod tantò magis admirationi esse debet, quantò arctior hoc in ordine maceratio sensuum est, aut sublimior in Deum mentis elatio; præsertim cùm non semel palàm factum nobis sit, naturam in modum arcûs tensam, aut coarctatam vel rumpi, vel saltem debiliora respectare. Inter tot verò rigidas solitudinis, silentii perpetui, jejuniorum continuorum, & ad mortem (***)

H h 3

usque

(*) NAVARR. de Regular. comm. 4. n. 31. V. hic Baron. *Annal.* Tom. 11. pag. 21. lit. D. & Theophilus Raynaudus Tom. 17. tract. de benev. in Relig. qui omnes Panegyristas hujus ordinis in brevi indice tibi exhibet.

(**) Videatur Arnold. Bossi, in tract. de illustribus viris ordinis Carthusiensis, Petrus Rolandus in Chronico Carthus.

(***) A Theologis dubitatum est olim, an licitum Carthusianis sit abstinere à carne, etiam in maximò periculo vitæ? cùm hoc videatur contra obligationem esse naturalem, quam homo habet conservandi vitam; verùm SUAREZ Tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 4. n. 4. duos casus distinguit: unus est, quando extrema necessitas oritur ex defectu alterius cibi, ita ut sit certum periculum moriendi fame, nisi carnes comedantur; & in hoc casu censet non esse licitum abstinere. Alter casus est, quando tantum est ordinarium periculum ægritudinis, & Medicus judicat esse moraliter necessarium esum carnis ad resistendum ægritudini; in hoc posteriori casu licitum esse existimat observare inviolabiliter illam abstinentiam non obstante periculo, quia talis abstinentia potest pertinere ad magnum commune bonum illius Religionis, ne illa occasione aperiat via relaxandi hanc observantiam in tali Religione &c. plures rationes hujus vide apud dictum Authorem n. 5. & apud Petram Cardinalem, qui hanc quæestionem ad Constit. VII. Alexandri III. latissimè tractat.

utque servandæ à carnibus abstinentiæ leges, vigorem eundem durâsse; imò auctum esse, quis non stupefcât (*)? Sub ordinis initia Carthusiani Patres suis in cœnobiis cautum voluerunt, ne numerus Religioforum ultra duodenarium assurgeret, quæ decimus tertius Prior præfesset: quo remedio curam comparandorum pro pluribus alendis agrorum, ac alias sollicitudines abscindere parabant, quæ sæpe adstrictos disciplinæ nexus laxâre solent (**).

MEDIA
PRO VI-
GORE PRI-
MÆVO DI-
SCIPLINÆ.

III. In tribus verò adjumentis conservandæ disciplinæ methodum sitam esse voluerunt. Primum est silentium perpetuum, alterum solitudo arctissima (**), quibus homo ab omni consuetudine, ac periculo quàm longissimè submovetur. His præfidiis tertium demum apponunt, scilicet Capitulum, ut vocant, generale, quod singulis annis in magna Carthusia celebratur,

(*) GERSON, & MAJOR referunt, non defuisse, qui perfectionem hujus ordinis diminuere præsumpserint, eoquod nec plures habeat Sanctos Canonizatos, nec multis miraculis fulgeat, quibus ipsi latè respondent: hæc signa non esse necessaria ad perfectionem: & optimum, ac sufficiens esse *exemplum* perfectæ Sanctitatis; præsertim cum perseverantia tot annorum, in quibus rigor primus illius Religionis ferè in nullò diminutus est.

(**) PETRUS VENERABILIS in Biblioth. Cluniac. pag. 1319. *Et ut non esset eis (Carthusianis) quandoque necessarium, vel plus terra, quàm dictum est, possessioni suæ addere, aut numerum jumentorum suorum vel pecorum augere, duodecim tantum Monachos cum decimo tertio Priore, ac decem & octo conversis, paucisque Mercenariis esse perpetuò decreverunt.*

(***) De clausuræ rigore apud Carthusienses differit latè NAVARRUS Comment. 4 de Regular. n. 30, ratione cujus existimat Suarez Tom. 4. lib. 2 c. 4 n. 6. quod hæc Religio prærogativam acceperit, ut ab omnibus aliis transitus ad illam liceat jure communi in extrav. *viam Ambitiosa* de Regularibus,

bratur, ut totius ordinis res agitentur: observantia, (si quis eam nævus vitiarit) hic restituitur; præterea singulis bienniis omnes ordinis domus per rerum gestores inspiciuntur, ac emendantur (*), ut ferè nihil irrepere valeat, quod validis radicibus obsistat, aut incommodet Religioni. Cœnobitæ tam integri ordinis etsi nil magis agant, quàm ut precibus, velut cum Moyse in monte contemplationis constituti, vacent, levèntque puras manus ad Deum, dum alii Religiosi sæculo quasi premixti cum hostibus, ac erroribus eominus pugnant; nihilominus, ut testatur Surius (c) : *Carthusianæ vitæ authores libris scribendis operam dare studuerunt, & ut sui Successores hoc facerent, hortati sunt; ut saltem manibus Verbum Dei prædicarent, quando ore non possent.* Thomassinus Carthusiensibus schismatum extinctionem non semel tribuit (**).

(c) Tom. V.
6. Octob.

IV. Quibus, & aliis operibus Carthusiana familia suum etsi zelum satis testata sit; id tamen præcipuè memorandum venit, quod eos viros, qui propagandæ fidei, aut proximorum saluti suam locarunt operam, omni charitatis obsequio sustentârint. Gratissimâ profectò mente omnes Societatis nostræ Professores semper recolent illam officiorum magnitudinem, quâ primorum Patrum, ac JESU Sodalium exordia sublevârunt; rei domesticæ angustias suppeditatâ alimonia adjuverunt: oppressos erexerunt: exulibus expulsi, domos suas, ac solitudinis velut sacra asyla

CHARITAS
CARTHU-
SIENSIIUM
ERGA SO-
CIETAT.
JESU.

ape-

(*) DIONYSIUS CARTHUSIAN. de suâ Religione loquens ait: *per tria sil, sol, & vi. Religio manet in vi.* Hoc est per silentium, solitudinem, & visitationes.

(**) Thomass. l. lib. 3. c. 69. n. 13. & III. lib. 1. c. 53. n. 8.

aperuerunt (*). Quæ beneficia S. Pater noster Ignatius non tantum nobis posteris altè inculcata voluit; sed & tunc primâ nascentis Societatis ætate, ut mnemosynon poneret, communionem meritorum) quæ hodie dum inter utrumque ordinem intercedit) Carthusiæ cultoribus reddidit. Atque hoc vinculum perpetuum seu sacer nexus tam diu stabit; dum ad ultima mundi senescentis tempora, precibus piissimorum virorum, ac exemplis instructi seu domi, seu militiæ; terrâ, marique in Oriente, ac Occidente inter barbaras, ac cultas nationes sudabimus, laborabimus, & usque ad sanguinem, & profusionem vitæ vineam Domini colemus.

CARTHU-
SIÆ PER
FRANCO-
NIAM.

V. Carthusiarum quinarum numerum Franconia nostra numerat; in his omne bonum esse cernitur: Prima velut mater cæteram condita est sub Alberto ab Hohenlohe Episcopo Wirceburgensi; is enim à Patribus in majori Carthusia pro annuo more congregatis quosdam celeberrimi ordinis Alumnos expetiit, qui agrum, & urbem Franconiæ præcipuam suâ

(*) In Tabulario Romano nostræ Societatis extat hic titulus: *Ordinis Carthusiani cum Societate JESU Colonia inita familiaritas ab anno MDXLIII. aucta deinceps, & propagata; ejusdem ordinis Luceia Parisiorum erga nostros benevolentia: P. Ribadeneira quoque in lib. 3. capiti duodecimo hunc titulum præfixit: Universi ordinis Carthusiensis erga Societatem charitas & benevolentia, quam materiam longius exequitur. Carthusiensium Colonienſium, & Venerabilis P. Gerardii Hammontani Carthusiæ ejusdem Prioris beneficia nostris præstita latè describit in suo Commentario ad vitam S. Ignatii §. 37. P. Pinus, ubi etiam ex autographis adducit literas, quas Prædictus Prior & S. Ignatius sibi invicem miserunt. Denique Orlandinus noster lib. 10. n. 109. Histor. exponit, quàm benè meriti Carthusienses fuerint de Societate Parisiis &c.*

si à cœlesti virtute facerent illustriorem : anno itaque quadragesimo octavo supra millesimum trecentessimum Winceburgi ordinis hujus prima fundamenta substructa sunt à nobilium duorum fratrum Rudgeri & Wolfframi beneficentiâ, cui symbolam tam insignem adjecit postea Eberhardus de Hirschhorn, Canonici Ecclesiæ Cathedralis, ut in Epitaphio, quod ejusdem tumulo a. 1371. in Ecclesia Carthusiensium adornatum est, fundator tam sanctæ solitudinis scribi meruerit. Ex prima hac radice quatuor rami producti sunt, scilicet Carthusia Astheimensis, Illmbacensis, Tickelhausensis, & Grönaviensis, sive à Nobilibus sive à Schvvarzenbergenfis Comitibus fundatæ: in quæ Angelicam vitam Religiosi agunt, in carne extra carnem viventes, utpote psalmodiis, abstinentiæ perpetuæ à carne, & divinorum meditationi intenti sunt sicut Angeli Dei; unde Winceburgensium Carthusia nomine *Horti Angelorum* hodie consignatur: præstant quippe hic in terris, quod cum Angelicis Choris aliquando in cœlis felicius sunt peracturi.



Ii

CAPUT

R. P. D. Maj. Hier. Pars. II.